

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica  
Recapitvatio**

**Molanus, Johannes**

**Dvaci, 1616**

Post annum millesimum quis fuerit in Belgio religionis status. Cap. XXIIII.  
[i.e. XXV.]

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9477**

Claruit eodem tempore S. Gerardus abbas, fundator Broniensis monasterij: qui multa tempora & monasteria, à Nordmannis cuersa, reparauit, potissimum in Flandria: Idem ad monasterium suum attulit ossa S. Eugenij Toletani episcopi, sicut Guibertus ad Gemblacum corpus S. Exuperij vexilliferi. Hoc saeculo de Scotia vel Hybernia sancti aliquot viri in Belgio floruerunt. Columbanus abbas Gandaui pro Christo se reclusit, ibidemque quietem anno 957. accepit. Forannanus etiam episcopus angelica admonitione de patria Walciodorum, quod tunc à Comite Eliberto inchoabatur, missus est. Paullo post anno 1000. B. Dunstanus Dorobernensis episcopus Gandaui exsulauit, dum Eduino rege pulso ab Edgardo successore reductus est.

*Post annum millesimum quis fuerit in Belgio  
religionis status.*

C A P. XXIIII.

**S**anctus Macarius patriarcha Antiochenus, resignato patriarchatu peregrinando in Belgium nostrum peruenit: in quo & viuus & mortuus innumeris miraculis claruit. Anno millesimo duodecimo Gandaui peste obiit, & sua morte omnium velut mortem, Deo placato, restinxit. Eleuatus est ab episcopis, anno ab obitu circiter quinquagesimo quinto, praesente Philippo Francorum rege, & alijs utriusque ordinis proceribus.

Claruit hac tempestate Megengaudus Comes cum Gerbirga vxore, cuius sancta proles Aleidis Vileensi abbatiae initium dedit, in qua & deposita est anno 1020. Sequenti anno Wolbedo clarissimus Leodiensium episcopus vitam hanc

F P morta-

CHRONICA

mortalem cum immortali mutauit. Corpus seruat-  
tur in B. Laurentij monasterio. Anno antem 1026.  
Thomas de Argentolio Atrebatii præpositus, in  
ipso Ecclesiæ gremio pro iustitia occiditur. Cla-  
rebat etiam Aüfridus Bratuspantium Comes: qui  
omnibus bonis ecclesiæ Dei donatis obiit Traie-  
ctensis episcopus anno 1008. Conradus eiusdem  
sedis episcopus, occisus est anno 1099. Ad hæc e-  
tiam tempora referendus est Radulphus tacens  
Afflegenij monachus.

Sanctns Arnulphus episcopus Sueßionensis,  
militiæ cingulo accepto, multas Brabantinas at-  
que Flandrenses lites sua prudentia diremit, sed  
sæcularis militiæ pertæsus ad Sueßonicum S.  
Medardi monasterium migrauit: vbi aliquanto  
post abbas est creatus: deinde vrbis episcopus.  
Inde pacis minister, pro pacis redintegratione A-  
postolica autoritate in Flandriam redijt; vbi au-  
thoritate Radbodi episcopi Nouiomensis, Al-  
denburgi diui Petri ecclesiam, vsibus abbatiæ  
aptandam suscepit: in qua abbas obiit, anno mil-  
lesimo octuagesimo septimo. Circa illa tempora  
anno videlicet 70. strangulata est Gestellæ sancta  
Godeleua, à seruis suis, iussu Bertulphi mariti.

Hierosoly-  
mitana  
expeditio.

Godofridus dux Bullonensis, Christianæ mi-  
litiæ antesignanus inuictissimus, anno millesimo  
nonagesimo sexto, cum multis principibus, præ-  
cipue Belgicis, in expeditionem Hierosolymita-  
nam profectus, mirabiles & inauditos triumphos  
est consecutus. Anno nonagesimo nono Hiero-  
solymæ à Christianis captæ sunt, & primus rex  
creatus est dictus Godofridus: qui vt in Christia-  
ni nominis hostes accingeretur, ducatum suum  
Bullonensem iam pridem mille trecentis marchis  
argen-

argentum vendiderat Leodiensi episcopo. Moriente autem Godofrido, Baldwinus frater eius, in regno succedit, anno millesimo centesimo.

*Quæ post annum millesimum centesimum.*

C A P V T   X X V I .

**A**nno millesimo centesimo vigesimo quarto claret venerabilis Norbertus fundator ordinis Præmonstratensis, qui cum suis multum laborauit Antuerpiæ, contra detestandam seductionem Tanchelini hæretici, qua eius urbis incolæ miserè & pertinaciter infecti erant. Crispini eremiticam vitam dicit S. Albertus presbyter. Fulgent circa eadem tempora, multa sanctitate & miraculis rusticani homines, sanctus Guido apud Bruxellam, qui obiit anno 1112. & S. Drogo apud Valencenas, qui obiit anno 1186 Ioannes etiam Morinensis episcopus regularis congregations monasterium Ibris ad S. Martinum construxit: quieuit anno 1130. Neque multo post S. Bernardus Belgum illustri sua prædicatione & monasterijs aliquot decorauit. Ex quo etiam duos habuit successores viros sanctissimos Robertum Brugensem, & Fastredum Camberonensem. Pertinet etiam ad hoc sæculum Caroli Flandriæ Comitis martyrium, qui pro iustitiæ defensione, in ipsa Ecclesia ante Beatissimæ Virginis Mariæ altare est Brugis occisus anno 1127. Paullo post vitam hanc cum meliori mutauit Rupertus Tuitiensis abbas ex Belgis: pietate in Virginem matrem, & eruditione clarissimus anno nimirum 35. Habuit etiam hoc sæculo Frisia insigne religionis accrementum, fundato per B. Fredericum horto beatæ Mariæ, ad quem velut

P P 2                      ad al.